

Christi nomine humiliter invocato.



O S Oldegarius de Montserrat, V. I. D. Archidiaconus major & Canonicus Sanctę Metropolitanę Ecclesię Sedis Tarraconę; Iudex & Commissarius Apostolicus, subdelegatus ab Illustri, & Reverendo Domino Isidoro Bertan, V. I. D. Archidiacono Mayore Sanctę Ecclesię Gerunden, & ex præminencia sui Archidiaconatus Vicegerente Episcopi, Sede Episcopali Gerunden Vacante: Unico Iudice, & Commissario, ac executore Apostolico, Delegato, à Sancta Sede Apostolica, in præsentī Catholonię Principatu, & Comitatibus Rossilonis & Ceritanę, ad inquirendū, & procedendū, contra Personas Ecclesiasticas Crimina atrocia committentes. Visa in primis supplicatione oblata per F. P. C. B. Apostolici, contra Fr. Lectorem Franciscum Sentes, & F. Thomam Mauri, Religiosos conventuales in Monasterio Sanctę Catherinę V. & M. præsentis Barchinonę Civitatis, Ordinis Predicatorum, delatos, & inculpato de gravi, & atroci injuria per ipsos illata, adversus Fr. Lectorem Franciscum Padrell, Religiosum ejusdem Ordinis, publicando eum judeum, seu descendentem ex sanguine impuro, & infecto judeorum; dictus videlicet Sentes, ne dum in responsione, quam in scriptis obtulit; coram Notario & Testibus, ad quandam requisitionem ad instantiam legitimi Procuratoris dicti Fr. Francisci Padrell sub die Vigesima Octava Februarij proxime lapsi, sibi in dicto Conventu seu Manasterio Coram, & ante hostium aula Theologię, præsentaram; cum qua requirebatur in effectu dictus Sentes, quod obediret, & obtemperaret mandato executivo, expedito ab Illustrissimo Domino Nuntio Hispanię, quatenus relaxaret possessionem lecturę, seu Lecturię Theologię dicti Conventus in favorem dicti F. Padrell, neque impediret ei possessionem illius adipisci; Cui quidem respondit dictus Fr. Franciscus Sentes, quod dictus Fr. Franciscus Padrell, non poterat obtinere dictam lecturam, nec officium aliquod in sua Religione Dominicana, cum esset prohibitum per diversas Bullas summorum Pontificum, & alias Apostolicas sanctiones, ne quis descendens ex Iudeorum sanguine posset admitti ad dictam Religionē Prædicatorū, & quod semel admissus non posset aliquod officium in ea obtinere; & quod dictus F. Franciscus Padrell, erat publica vox & fama, quod erat comprehensus in dicta prohibitione, pro parte matris suę, tanquam descendens ex familia de Aleu Villę Granullariorum presentis Diocesis; sed etiam alijs diversis locis, & partibus, coram diversis personis varis vicibus; dictus vero Fr. Mauri, etiam coram diversis personis, & diversis vicibus, tam intra dictum Monasterium Divę Catherinę, cum alijs Religiosis ejusdem alloquendo, & factum dicti Fr. Francisci Sentes, supradictamque illius responsionem, & calumniam laudando, aprobando, & defendendo, dicendo firmiter, & constanter, se scire dictum Fr. Padrell, descendere ex genere, & sanguine Iudeorum; quam etiam extra dictum Monasterium. Visis supplicationibus oblatis tam pro parte Joannis Padrell,

majoris Pharmacopole p̄ntis Civitatis, Patres dicti Fr. Francisci Padrell die Octava Martij proxime præteriti; quam pro parte Syndici Collegij Pharmacopolarum ejusdem Civitatis pro suo interesse respective instantiam & partem formatam faciendo, adversus dictos Fr. Franciscum Sentes, & Thomam Mauri. Visa alia supplicatione per eundem Joannem Padrell oblata sub die Vigesima Sexta ejusdem mensis, & Anni; in qua articulatè & distinctè per gradus genealogiæ, parentelæ, & Generis dicti Fr. Francisci Padrell, & reliquorum filiorum suorum, deduxit, & probavit puritatem sanguinis illorum, ad manifestandam atrocitatem, & gravitatem supradictæ injuriæ, & calumniæ, testiumque depositionibus super dicta supplicatione, & deductione, ministratorum, instrumentisque exhibitis. Visa supplicatione oblata per dictos Fr. Sentes, & Mauri, secunda Aprilis millesimo sexcentesimo octuagesimo sexto in & cum qua retractarunt se, ab ante dictis; fatentes fuisse per ipsos prolata, & publicata contra puram veritatem, quam agnoscant libenter, bene informati, quodque dixerunt ea per sinistras, & falsas, ac erroneas informationes, & ducti iracundia, & abque fundamento. Viso toto processu inquisitionis formatæ contra dictos fratres Sentes, & Mauri, & illius publicatione cum licentia Advocati, & Procuratoris, & termino defensionum. Visa defensionum publicatione, & assignatione ad sententiam, ad præsentem diem, ad quam iterum ad cautelam assignamus, lecto processu in Concilio brevis Apostolici & facta relatione per Assessorem infra scriptum insequendo conclusionem in dicto Concilio brevis Apostolici factam sacrosanctis Dei quatuor Evangelij coram positis, & illis reverenter inspectis; Ve de vultu Dei rectum & justum procedat iudicium, sententiamus, pronuntiamus, & declaramus, in hunc qui sequitur modum.

Attento ex meritis præsentis Inquisitionis, & aliàs, constat de intentione P. Fr. C. B. Apostolici adversus dictos Fr. Franciscum Sentes, & Fr. Thomam Mauri; & signanter constat de calumnia, & falsitate dictæ injuriæ, dicto Fr. Francisco Padrell illatæ; siquidem constat ex testium depositionibus ministratorum super primo capitulo ex oblati per dictum Joannem Padrell Pharmacopolam dicta die Vigesima Sexta Martij proxime lapsi, & ex fide Baptismatis ejusdem Fr. Francisci Padrell, ipsum habere in patrem dictum Joannem Padrell Pharmacopolam præsentis Civitatis, & de Collegio Pharmacopolarum ejusdem. Constat ex eorum dē testium depositionibus super capitulo quadragesimo nono ex per dictum Joannem Padrell oblati, Collegium Pharmacopolarum præsentis Civitatis, de tempore hominum memoriam excedente, assuevisse semper facere rigurosam probationem generis, & familiæ Collegiati admittendi; Nec alias admittere aliquem in Collegiatum quin prius ex informatione prævia cōstet de puritate sanguinis illius. Constat dictum Joannem Padrell majorem fuisse admissum ad dictum Collegium præmissa informatione puritatis sanguinis illius ex omni latere in processu producta, ex qua constitit, & constat eum esse purum sanguine, ex omni latere, absque aliqua macula, & labe, sanguinis infecti, & impuri. Constat ex fide Baptismatis dicti Joannis Padrell Pharmacopolæ majoris, & aliàs, ipsum esse filium legitimum & naturalem Vincentij Padrell Norarij, naturalis loci de Rupià Diocesis Gerunden; & Annæ conjugum. Constat ex testium depositionibus, super interrogatorijs primo, & quarto,

3

ex oblatis per Consules dicti Collegij Pharmacopolarum in dicta infor-
matione ad sui instantiam recepta de Anno Milesimo Sextentesimo Quadra-
gesimo Quinto pro admitendo dicto Ioanne Padrell majore, ministratorum,
dictum Vincentium Padrell Notarium dicti loci de Rupià, avum patrum
dicti Fr. Francisci Padrell, fuisse familiarem Sancti Officij Inquisitionis,
sicque constat de actibus positivis puritatis sanguinis dictorum Vincentij
Padrell, & Ioannis Padrell, avi, & Patris respective dicti Fr. Francisci Pa-
drell. Constat ex eorundem testium depositionibus in proximè dicta infor-
matione receptis dictum Vincentium Padrell Notarium, familiarem Sancti
Officij Inquisitionis, esse filium Laurentij Padrell agricolæ dicti loci de Ru-
pià, & Esperantiæ ejus vxoris, filia legitime, & naturalis Bernardi Borull
agricolæ, ejusdem loci; de quorum omnium puritate sanguinis, & veteri
Christianitate sicut & dicti Vincentij Padrell, & dicti Ioannis Padrell ma-
joris de auditu, & comuni reputatione, ac publica voce, & fama vnanimè
deponunt dicti testes in prædicta informatione recepti. Constat ex eorun-
dem testium depositionibus, ministratorum in eadem informatione, ad
instantiam Consulum dicti Collegij Pharmacopolarum, pro admissione dicti
Ioannis Padrell majoris, dictam Annam Padrell vxorem dicti Vincentij Pa-
drell, matremque dicti Ioannis Padrell majoris, & aviam dicti Fr. Francisci
Padrell fuisse filiam legitimam, & naturalem Damiani Bosch mercatoris
Villæ Sancti Fœlicis de Guixols, & Ludovicæ Bosch ejus vxoris, filie legitimæ, &
naturalis Ioannis Torras mercatoris ejusdem Villæ Sancti Fœlicis; ex quorum
testium despositionibus etiam liquet genus, seu progeniem, & familiam dicti
Bosch, & dicti Torras sancti Fœlicis de Guixols, esse antiquas, & puras san-
guine, absque mixtura aliqua sanguinis infecti, de auditu, & comuni reputa-
tione, & fama; quin vnquam fuerit aliquid auditum in contrarium.

Constat ex fide Baptismatis dicti Fr. Francisci Padrell, & alias ipsū habuisse
in matrem Franciscā Padrell, & Vilar originariam præsentis Civitatis, ex qua
parte, seu latere calumniosè fuit injuriatus, & disfamatus. Constat ex fide
Baptismatis dictæ Franciscæ Padrell, & Vilar, & desponsationis illius, cū dicto
Ioanne Padrell majori, ipsam habuisse in patrē Franciscum Vilar auri, &
argenti fabrum p̄ntis Civitatis, & in matrem Franciscam Vilar, & Aleu vx-
orem dicti Vilar. Constat dictum Franciscum Vilar auri, & argenti fabrum
præsentis Civitatis, habuisse in patrem Raphaelem Vilar, etiam auri, & ar-
genti fabrum, ejusdem Civitatis, filium alterius Raphaelis Vilar Candelarij
ceræ dictæ Civitatis, & Catherine conjugum, & in matrem Catherinam Vi-
lar, & Perès, filiam Petri Perès auri, & argenti fabri ejusdem Civitatis, &
Eulaliæ conjugum ut liquet ex certificatorijs Baptismatum dictorum Francisci
Vilar, & Raphaelis Vilar ejus patris, & ex testamento dictæ Catherine
Vilar vxoris dicti Raphaelis Vilar auri, & argenti fabri, in quo enuntiatur
filia legitima, & naturalis dicti Petri Perès, & Eulaliæ conjugum defuncto-
rum, & vxor dicti Raphaelis Vilar, auri, & argenti fabri, eligendo eum manu-
missorem, & legata ipsi relinquendo, & nominat filium sibi, & dicto Raphaeli
Vilar comunem, dictum Franciscum Vilar, instituendo eum heredem vniver-
salem. Constat ex testium depositionibus ministratorum, super Capitulis vn-
decimo & duodecimo ex oblatis per dictum Ioannem Padrell majorem in
præsentis processu, dicta die vigesima sexta Martij proxime lapsi, genus,

& familiam ac progeniem dictorum Vilar, & pariter dictorum Perès, ex publica & comuni reputatione, & fama, esse puras sanguine, absq; mixtura aliqua sanguinis ludeorū, aut alterius infecti, depravati, & impuri, & proinde pro hoc latere, & parte de necessitate debere esse purā, & absq; macula aliqua sanguinis infecti dictā Franciscā Padrell & Vilar, matrē dicti Fr. Francisci Padrell, ipsumque Fr. Franciscū Padrell, pro ut etiā fatentur dicti Fr. Franciscus Sentès, & Thomas Mauri rei, in suis depositionibus, & alijs.

Constat ex fide Baptismatis dictæ Franciscæ Vilar & Aleu matris dictæ Franciscæ Padrell & Vilar, & aviæ dicti Fr. Francisci Padrell, & despōsationis illius, cū dicto Frācisco Vilar auri, & argētifabro & alias ipsā esse filiā legitimā & naturalē Francisci Aleu retorcioris serici præsentis Civitatis oriundi, ex vico vulgo vocati *del Hospital*, & Antonia Aleu, & Felii, **TERTIÆ VXORIS DICTI FRANCISCI ALEV.** Constat dictū Franciscū Aleu retorciorē præsentis Civitatis, habuisse in patrē alium Franciscū Aleu espaserium præsentis Civitatis, filium Ioannis Aleu magistri armorum vulgo *mestre de esgrima*, & Marię Conjugum, naturalium, & oriundorū Villè de Reus, Campi & Diocesis Tarraconæ; & in matrem Elisabethem Aleu, & Oliver, filiam Antonij Oliver raserij, vulgo *esmolador de navajes*, Civitatis Barchinonæ, & Eulaliæ Oliver, & Granell, ejus vxoris, filia Ioannis Michaelis Granell, & Eulaliæ conjugum, Civium Barchinonæ, ut liquet ex fide Baptismatis ipsius Francisci Aleu retorcioris, & ex testamento dicti Francisci Aleu espaserij Barchinonæ condito duodecima Martij millesimo quingentesimo septuagesimo apud Iacobum Pellicer Not. in quo dictus Franciscus Aleu espaserius, enuntiatur filius legitimus, & naturalis dictorum Ioannis Aleu, & Mariæ Conjugum oriundorum à dicta Villa de Reus, & nominat in manumissorem, & exequtricem suæ ultimæ voluntatis Eulaliam Oliver viduam relictam Antonij Oliver, ejus socrum, & matrem Elisabethis Aleu, & Oliver, ejus vxoris, & in filium sibi, & dictæ Elisabethi comunem dictum Franciscum Aleu, tunc ætatis duorum annorum, instituendo eum heredem sibi univrsalem; & ex testamento dictæ Eulaliæ Oliver, & Granell matris dictæ Elisabethis Aleu, & Oliver, & aviæ dicti Francisci Aleu, retorcioris serici, condito Barchinonæ octava Ianuarij Millesimo quingentesimo, septuagesimo octavo, apud Simeonem Rafecas Notarium publicum dictæ Civitatis, in quo enuntiatur Filia dicti Michaelis Granell, & Eulalię Conjugum defunctorum, & Vidua dicti Antonij Oliver, & nominat in filiam dictam Elisabethem Aleu, vxorem dicti Francisci Aleu espaserij, instituendo eam hæredem sibi univrsalem.

Cōstat ex Viginti unius testiū depositionibus per dictū Ioannē Padrell majorem ministratis, super capitulo, ex prædictis per ipsū oblatis dicta die vigesima sexta Martij proxime lapsi, (quorū aliqui sunt vicini, & oriūdi à dicto Vico vulgo vocati *del Hospital* pñtis Civitatis, à quo fuit oriundus, dictus Frācisus Aleu retorcior serici, & omnes excedūt ætatē plusquam quinquaginta annorū, & plures septuaginta, & octuaginta annorum, omnesque cognoverunt dictū Frācisum Aleu retorciorē, ejusque familiam, & prosapiam,) & alijs, dictum Franciscum Aleu retorciorē serici proavum maternum dicti Fr. Francisci Padrell ejusque genus familiam, & prosapiam, suorumque antecessorum, & descendentium, fuisse sanguinis puri, absque macula aliqua, & mixtura sanguinis ludeorum, aut alterius infecti, & depravati, ex comuni reputatione voce,

& fama, vnam initer deponētiū, & pro talibus publice dictos Aleus p̄ntis Civitatis fuisse habitos, & reputatos, quin vnquā fuerit aliquid auditū in cōtrarium. Constat dictam Antoniā Aleu, & Feliu, tertiam vxorem dicti Francisci Aleu retorcioris, ex quorum matrimonio descendit dictus Fr. Franciscus Padrell per medium Franciscæ Padrell, & Vilar, & Franciscæ Vilar, & Aleu ejus matris, & aviæ respectiue, esse filiam legitimam & naturalem Jacobi Feliu curritoris animalium præsentis Civitatis Barchinonæ, & Margaretæ Feliu, & Ravella conjugum; dictumque Jacobum Feliu curritorem fuisse filium legitimum, & naturalem alterius Jacobi Feliu agricolæ Villæ Sancti Cucuphatis Vallens, & Anticæ conjugū, vt liquet ex fide desponsationis dictæ Antoniæ Aleu & Feliu in primis nuptijs, cū Ioanne Pasqual agricolæ Villæ Sancti Cucuphatis Vallens, & despōsationis ejusdē in secūdis nuptijs cū dicto Frācisco Aleu retorcioris; & ex testamento condito per dictum Jacobum Feliu curritorē animalium patrē dictæ Antoniæ, condito Vigesima sexta septembris millesimo sexcentesimo quatuordecimo apud Henricum Coll Notarium publicum Barchinonæ, in quo enuntiatur filius dictorum Jacobi Feliu agricolæ Ville Sancti Cucuphati Vallens, & Anticæ cōjugum, & nominat vxorem dictam Margaretam, eligendo eam manumissorē, & exequtricē suæ vltimę voluntatis, legata ei relinquendo. Constat ex eodem testamento, & alias, dictos conjuges Jacobum Feliu curritorem præsentis Civitatis, & Margaretam Feliu, habuisse in filium legitimum, & naturalem, Paulum Feliu, curritorem animalium ejusdem Civitatis Fratrem consanguineum dictæ Antoniæ Aleu & Feliu, de cujus Pauli Feliu sanguinis puritate, absque aliqua macula, & infectione sanguinis Iudeorum, aut alterius infecti, & depreuati, ac impuri, ex comuni reputatione, publica voce, & fama, deponunt vnam initer testes ministrati per dictū Ioannē Padrell majorem super capitulo quadragesimo sexto ex prædictis per ipsū oblati in p̄nti processu, dicta die vigesima sexta Martij proxime præteriti. Constat Reverendum Doctorem Ioannem Padrell, hodie Beneficiatum in Ecclesia Parrochiali Sanctæ Mariæ de Mari præsentis Civitatis, fratrem ex vtroque latere dicti Fr. Francisci Padrell, fuisse admissum in Collegio Pharmacopolarum præsentis Civitatis, antequam sacros ordines adipisceretur, prævia informatione recepta, ad instantiam consulum dicti Collegij, de anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo nono de puritate sanguinis, & generis ejus, pro parte dictæ Franciscæ Padrell & Vilar, suorumque parentum, & avorum, cæterorumque prædecessorum, & fuisse inventum purum sanguine absque mixtura aliqua sanguinis Iudeorum, aut alterius infecti, & impuri, ex communi & publica reputatione, & fama, quin aliquid fuerit vnam auditum in contrarium & vti talem fuisse admissum ad dictum Collegium; ex quo resultat alius actus positivus puritatis sanguinis, in favorem familie, & generis dictorum Padrells. Constat ex puritate sanguinis Vnius consanguinei transversalis, inferri, & confirmari in altero consanguineo, cum præsuponat eam in comuni stipite ascendenti, cum qualitas puri sanguinis sit vniuersalis, & individua in tota familia, taliter quod est tota in tota, & tota in quolibet singulari, & parte familie; & proinde ex puritate sanguinis dicti Pauli Feliu Curritoris, bene infertur eadem puritas sanguinis in dictam Antoniā Aleu, & Feliu eius sororem consanguineam sicut & dicti Reverendi Doctoris Ioannis Padrell, ad dictum Fr. Franciscum Padrell eius fratrem con-

6
sanguineum. Deinde constat Conventum Sanctę Catharinę V. & M. præsen-
tis Civitatis, debere, & assueville, juxta observantiam Religionis, & decre-
ta Summorum Pontificum, vbi est admittendus aliquis filius habitus dicti
Conventus ad professionem, perscrutare, & diligenter indagare ac probatio-
nes perquirere, generis & puritatis sanguinis illius, non admittendo alias ad
professionem talem Religiosum si quid quam adinvenit maculę sanguinis
impuri talis Religiosi, vt liquet, ex testium depositionibus per dictum
Ioannem Padrell ministratorum, super capitulo quinquagesimo quarto ex
per ipsum oblatis dicta die vigesima sexta Martij proxime lapsi. Constat ex
eorundem testium depositionibus super Capitulo quinquagesimo quinto,
& quinquagesimo sexto ex eisdem, dictum Fr. Franciscum Padrell & Fr.
Iosephum Thomam Padrell Fratres ex vtroque latere fuisse admissos, ad dic-
tam Religionem Sacri Ordinis Prędicatorum, in dicto Conventu Sanctę Cather-
inę, & de præsentis fore in eodem ordine Religiosos professos & pro dicta
admissione, ad professionem illorum fuisse præmissas præfatas diligencias,
ex quo resultat alius actus positivus puritatis sanguinis dictorum Padrells.
Constat dictum Fr. Iosephum Thomam Padrell Fratrem consanguineum dicti
Fr. Francisci Padrell, vt admitteretur ad Collegium de Oriola dictę Sacre
Religionis Dominicanę, situm in Regno Valentię (in quo non admittuntur
Religiosi aliqui, quin prius de sanguinis eorum puritate liqueat, vt Constat
ex testium eorundem depositionibus super capitulo quinquagesimo octa-
vo ex per dictum Padrell in præsentis processu oblatis dicto die) instasse in
Curia Regentis Vicariam Barchinonę recipi informationem de eius genere,
& puritate sanguinis tam ex parte Patris quam Matris eius, & Parentum, ac
Avorum suorum, paternalium, & maternalium, pro vt cum effectu fuit re-
cepta, sub diversis calendarijs, scilicet vigesima quarta, vigesima quinta,
vigesima sexta, & vigesima septima mensis Iulij anni millesimi sexcentissimi
septuagesimi tertij & plures testes ibidem ministrati, de sanguinis dicti Fr.
Iosephi Thomę Padrell, ex omni latere, absque labe, & macula aliqua san-
guinis infecti, ex comuni reputatione, publica voce, & fama, quin fuisset ali-
quid in contrarium auditum, deponentes: Ex quibus omnibus hucusque late
perpensis liquido manet probatum dictum Fratrem Franciscum Padrell,
esse purum sanguine, absque macula seu labe aliqua sanguinis Iudeorum,
aut alterius infecti, & depravati, ac impuri, ex omni parte & latere; siqui-
dem constat in vim juris puritatem sanguinis alicujus personę, generis seu
familie illius optime probari, maxime in antiquis, per similes testes de pub-
lica voce, & fama, ac comuni reputatione, & quod nunquam audierint vel
intellexerint aliquid in contrarium, deponentes, etiam si non dicant, nec ex-
primant à quibus audierunt; & præmaxime si testes sint vicini, & oriundi
ejusdem loci, vt in præsentis casu contingit; cum dicta fama nitatur juris
præsumptione, quę stat pro puritate sanguinis; & in hoc casu sit magno tes-
tium numero fulcita, nihilque habeat in contrarium; imo remanet plenissi-
mè corroborata, & confirmata tot actibus positivis ascendentium dicti Fr.
Francisci Padrell, & Fratrum consanguineorum illius; Imo etiam ipsius Fr.
Francisci Padrell, qui sunt etiã optimus modus probandi dictam puritatē san-
guinis, in vim juris, & constituunt totum genus, & familiam in possessione seu
quasi puritatis sanguinis; Et proinde constat de gravitate, & calumnia mali-
tiosè

7
tiosè per dictos Fr. Sentes, & Mauri Reos, adversus dictum Fr. Franciscum Padrell illata.

His igitur & alijs meritis processus attentis & aliàs, insequendo conclusionem in dicto Concilio Brevis Apostolici factam, dictum Fr. Franciscum Sentes cõdemnamus, quod banniat, pro ut cū præsentem cum bannimus à præsentem Principatu Cathalonie per tempus vnus anni, sub pœna, centum librarum monetæ argenteæ, & duplicati temporis in casum contrafactionis & alijs pœnis nobis benevisis; & dictum Fr. Thomam Mauri, quod banniat, pro ut cum præsentem cum bannimus, à præsentem Civitate & Diocesi Barchinonæ per tempus sex mensium sub eadem pœna respectively in casum contrafactionis, vt eis cedat in pœnam, cæteris vero in exemplum.

DOCTOR OLEGARIUS MONSERRAT
Iudex prædictus.

Vt. Ioffren Advo. Fis. C. B. Apost.

Vt. Ameller Assess. C. B. Apost.

Acta per dictum Illustrem & Admodum Reverendum Dominum Doctorem Olegarium de Monserrat Iudicem subdelegatum Curie Brevis Apostolici & lecta per me Salvatorem Golorons auctoritatibus Apostolica, & Regia Not. pub. & de Collegio Notariorum Regionum Barchinonæ, & dictæ Curie Brevis Apostolici Scribam in Domibus dicti Iudicis Subdelegati sitis in præsentem Civitate Barchinonæ in vico dicto *la devallada de Santa Eularia* die xvij. Maij MDC Lxxxvj. Instante Fiscij Procuratore præsentem Curie præsentibus pro testibus Petro Piquer, & Francisco Balrich famulis dicti Illustris, & Admodum Reverendi Domini Iudicis Subdelegati.

Quæ quidem Sententia dictis die & anno fuit intimata, & notificata dicto Fr. Francisco Sentes mediante intimæ tilletto sibi personaliter tradito per Salvatorem Monsò Nuntium dictæ Curie Brevis Apostolici sic referentem & relationem facientem. Item fuit intimata, & notificata dictis die, & anno dicto Fr. Thomæ Mauri mediante Intimæ tilletto sibi personaliter tradito per eundem Salvatorem Monsò Nuntium præfatum, sic referentem, & relationem facientem.

Copia huiusmodi in his præcedentibus quinque papyri soleis præsentem comprehenso, aliena manu scripta sumpta, & extracta fuit à suo originali processu Inquisitionis fulminatæ in Tribunali Curie Brevis Apostolici præsentem Cathalonie Principatus ad instantiam Procuratoris Fiscalis dicti Tribunalis, Ioannis Padrell Pharmacopolæ Civis Barchinonæ, & Syndici Collegij Pharmacopolarum ejusdem Civitatis, contra Reverendos Patres Fratres Franciscum Sentes, & Thomam Mauri Religiosos professos Monasterij, & Conventus Divæ Catharinæ Martiris Ordinis Prædicatorum præfate Civitatis Barchinonæ, & cum eodem de verbo ad verbum veridice collationata, & comprobata, per me Salvatorem Golorons auctoritatibus Apostolica atque Regia Notarium publicum, & de Collegio Notariorum Regionum Barchinonæ dictæque Curie Brevis Apostolici scribam; vt igitur eidem copie tanquam suo originali in iudicio & extra ab omnibus fides plenissima impendatur ego idem Salvator Golorons Notarius memoratus hic me subscribo, & meum quoque Vtor oppono Sig. ✕ num.